

KLEINE SCHRIFTEN

VON

HERMANN USENER



DRITTER BAND

ARBEITEN ZUR GRIECHISCHEN LITERATUR-
GESCHICHTE · GESCHICHTE DER WISSEN-
SCHAFTEN · EPIGRAPHIK · CHRONOLOGIE



DRUCK UND VERLAG VON B. G. TEUBNER · LEIPZIG · BERLIN 1914

ἐν ἄττει ἐπὶ Χίωνος
 εἰ ἐπὶ Ἀγαθοκλέ[ου
 ἐπὶ Θουδήμου Ἀ
 ου Ἀντέρωτι.
 ἐ[γίκα Λήναι]α 15
 . ἐν ἄττ[εἰ
 . . ἐπ[ι
 αρ

Vergleicht man Z. 3 mit Nr. 229, 2 (S. 597), so wird es wahrscheinlich, daß die Siege an den städtischen Dionysien den Lenäen vorausgingen. Für meinen Zweck, die Bedeutung der Zahlzeichen nachzuweisen, wird es genügen, wenn ich einfach die Archontenjahre zusammenstelle:

[B] * * Chion 364. * . *

Γ ἐν ἄττει: [Phanos]tratos 382. * . Charisandros 375. [Hip]podamas 374.
 * . Kephisodoros 365. Apollodoros 349.

Λήναια: * . Nausigenes 367.

[Δ] ἐν ἄττει: Chion 364. Agathokles 356. Thudemos 352. * .

Λήναια: * .

Von selbst reihen sich diese didaskalischen Zusammenstellungen ein in die nachgerade ansehnliche Zahl der monumentalen Aufzeichnungen zum Gebrauch von Haus und Schule, deren bekannteste Reste die parische Chronik und die Bildertafeln des epischen Zyklus sind.]

XIV. DE STEPHANO ALEXANDRINO.

HERMANNI USENERI | COMMENTATIO | BONNAE | APUD

A. MARCUM CIÖCCCLXXX

VALENTINO ROSE | BEROLINENSI | HERMANNUS USENER |

D · D · L · M

Stephanus Alexandrinus, de quo commentaturi sumus, ingravescente barbarie postremus veterem scholae mathematicae Alexandrinae famam sustentavit. Qua re quod eius memoriam paene obliteratam quantum licet repraesentare animum induximus, gratum eis omnibus facturi esse nobis videmur, quibus litterarum artiumque Graecarum historia cordi est. Nam ut iucundum est artem nascentem et ad summa fastigia ascendentem sequi, ita necessarium historiae est descendentem quoque et labentem nosse, quippe quae rudioribus medii aevi saeculis magistra fuerit.

Philosophi Stephanus et nomine utitur et munere publico functus est. Hunc enim eius titulum testantur eclogae codicis Vaticani n. 1059, quas in libello academico quo ad historiam astronomiae symbolam dedi p. 7 indicavi, f. 523^r Στεφάνου μεγάλου φιλοσόφου τοῦ Ἀλεξανδρέως καὶ καθολικοῦ διδασκάλου et f. 529^r Στ. φιλοσόφου καὶ μεγάλου διδασκάλου, liber de tabulis astronomiae manualibus cod. Vatic. 80 f. 14 Στεφάνου μεγάλου φιλοσόφου καὶ Ἀλεξανδρέως, dissertationis apotelesmaticae exempla tum Στ. φιλοσόφου Ἀλεξανδρέως tum Στ. φιλοσόφου καὶ οἰκουμενικοῦ διδασκάλου τοῦ Ἀλεξανδρέως; librorum denique chemiorum codex antiquissimus Marcianus 299 in indice Στ. Ἀλεξανδρέως οἰκουμενικοῦ φιλοσόφου καὶ διδασκάλου (cf. H. Koppii *Beiträge zur Geschichte der Chemie* fasc. II p. 261). Similiter in tractatu chemico codicis Vindobonensis medici n. 14 f. 53^r artis sacrae auctores sic recensentur, ut memoratis Mercurio Ioanne Democrito Zosimo haec addantur: οὔτοι οἰκουμενικοὶ πανεύφημοι φιλόσοφοι καὶ ἐξηγηταὶ τοῦ Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους διαλεκτικῶν τε θεωρημάτων· Ὀλυμπιόδωρος καὶ Στέφανος· οἱ τινες κτλ. (u. Lambecii commentf. t. VI p. 398 ed. Koll. et Koppii l. i. p. 345): nam hoc elogium neque alio quam ad Olympiodorum Stephanumque referri posse et citra fidem postea tantum non omnibus chemiae auctoribus adhibitum esse (ut in Gothano codice apud Koppium p. 349) luce est clarius.*)

Audit igitur aut οἰκουμενικός vel καθολικός διδάσκαλος aut μέγας φιλόσοφος vel διδάσκαλος. Similem constat Georgii Choerobosci**) fuisse dignitatem, cuius scholis Theodosianis Γεωργίου διακόνου καὶ χαρτοφύλακος 4 μεγάλου γραμματικοῦ καὶ οἰκουμενικοῦ διδασκάλου in codice Marciano 489 (cf. Villoisonis anecd. Gr. II p. 103 Gaistordi Choerob. p. V), ἀπὸ φωνῆς Γεωργίου διακόνου οἰκουμενικοῦ διδασκάλου in cod. Parisiensi, ut Leo Allatius testatur de Georgiis n. XIV (Fabricii bibl. Gr. X p. 626), ortho-

*) [Fugerat me locus Constantini Porphyrog. de administr. imp. c. 16 p. 37 sq. Meurs. — Moschus Prati spirit. c. 77 (Migne t. 87, 3 p. 2929^d) Ἀπήλομεν ἐν μῆ εἰς τὸν οἶκον Στεφάνου τοῦ σοφιστοῦ ἐγὼ καὶ ὁ κύριος Σωφρόνιος, ἵνα πράξωμεν, ἦν δὲ μεσημβρινόν. ἔμενον δὲ εἰς τὴν ἁγίαν θεοτόκον, ἦν ψυχοδόμησεν ὁ μακάριος πάπας Εὐλόγιος, τὴν ἐπονομαζομένην τῆς Δωροθέας. ὡς οὖν ἐκρούσαμεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ φιλοσόφου, παρέκυψεν κόρη λέγουσα· Καθεύδει, ἀλλ' ὀλίγον ἔεικακῆσατε. τότε δὴ λέγω τῷ κυρίῳ Σωφρονίῳ· Ἄγωμεν ἐν τῷ Τετραπόλῳ, κάκει μένωμεν. ἔστιν δὲ ὁ τόπος τοῦ Τετραπόλου πᾶνυ σεβάσιμος παρὰ τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι (quod ibi Alexander M. ossa Ieremiae proph. deposuisse creditur).]

**) [Choeroboscum ante Alexandriam ab Arabibus expugnatam (n. 638) scripsisse Prellerus (qu. de historia gr. Byz. p. 29 Ausgew. Aufs. p. 92) optime evicit cl. dict. p. 29, 2 Gf. ἰστέον δὲ ὅτι μοναστήριόν ἐστι παρὰ τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι καὶ λέγεται τοῦ Παῖα, ὡς ἀπὸ τοῦ Παῖας (eadem ib. p. 91, 10), orth. CAO II p. 237, 26 Λάγειον: οὕτως δὲ λέγεται τὸ Ἰπποδρόμιον Ἀλεξανδρείας ἀπὸ Λάγου τινός; *ibid.* p. 188, 20 Μαρτίνος Ἀντωνίνος Κωνσταντίνος Ἐχίνος Ἰουστίνος (imp. 518—527).]

graphiae Γεωργίου τοῦ Χοιροβοσκῶ Βυζαντίου γραμματικῶ καὶ οἰκου-
 μενικῶ διδασκάλου (Cramerī anecd. Oxon. II p. 167), libello de tropis in
 uno saltem libro Parisino 2008 τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου καὶ οἰ-
 κομενικῶ (sic) διδασκάλου κυρίου Γεωργίου τοῦ Χοιροβοσκῶ (cf. Walzii
 rhetorum Gr. t. VIII p. 802) inscribitur. Etiam aliorum virorum hoc titulo
 ornatorum extat memoria, quos Cangius in glossario p. 304 indicavit: τοῦ
 οἰκουμενικῶ διδασκάλου· Ἰγνάτιος οὗτος ἐκαλεῖτο, cuius epigramma
 in Sigmate porticu regiae Theophilus imp. (829–842) insculpi iusserat
 (cf. Theophanes continuatus p. 143, 11 ed. Bonn.) et Ἀλεξίου φιλοσόφου
 γερονότου μεγάλου διδασκάλου saeculo XI exeunti adscribendi, cuius versus
 duos Leo Allatius diatr. de Symeonibus p. 168 edidit. [Ἰγνατίου στίχοι
 εἰς τὸν Ἀδάμ (trimetri 143) editi sunt a Boissonadio Anecd. Gr. t. I
 p. 436–444; ἴαμβοι κατὰ στοιχεῖον Ἰγνατίου ibid. t. IV p. 436–7. Ignatii
 magistri (?) fabulas post Bandinium edidit Eberhard (Magdeb. 1875).]
 Difficile est infinitas imperii Byzantini dignitates et honores accurate de-
 finire: οἰκουμενικῶ vel καθολικῶ vel μεγάλου διδασκάλου quod fuerit
 munus, aut egregie fallor aut dubium non est. Pertinebat illud ad litte-
 rarum universitatem imperialem unicam quam Theodosius alter a. 425 in
 ipsa imperii arce instituerat: οἰκουμενικῶs igitur erat professor publicus,
 ut legis verbis utar, 'ex eorum numero qui videntur intra Capitolii audi-
 torium constituti' vel 'qui in Capitolio tantum docere praecepti sunt' (cod.
 Theod. XIV 9, 3 et cod. Iustin. XI 19). Volgo sane Cangio auctore (Con-
 stantinop. Christ. II 9, 3 in scriptorum Byzantin. sylloge Veneta t. XXI p. 118)
 οἰκουμενικῶn dicunt quasi rectorem quendam universitatis et inter pro-
 fessores principem fuisse, Zonarae maxime auctoritate freti, qui hist. XV, 3
 facinus atrox a Leone Isauro a. 725 in orthodoxos imaginum defensores
 commissum sic coepit narrare: οἶκος ἦν ἐν τῇ καλουμένῃ βασιλικῇ ἔγγιστα τῶν
 Χαλκοπρατείων βασιλειος, ἐν ᾧ καὶ βιβλιοθήκη τε θύραθεν σοφίας καὶ τῆς
 εὐγενετέρας καὶ θειοτέρας πολλὰ ἐναπέκειντο· ἦν δ' οὗτος ἀνεκάθεν τοῦ
 προὔχοντος ἐν λόγοις οἰκητήριον, ὃν οἰκουμενικῶn ἐκάλουσαν διδασκαλον,
 ὃς καὶ δώδεκα εἶχεν ἐταίρους συνοικοῦντας αὐτῷ, κάκεινους τῆς λογικῆς
 παιδείας μετέχοντας κατὰ τὸ ἀκρότατον. τούτοις καὶ σιτήσεις ἀνεῖντο
 δημόσιαι, καὶ παρ' αὐτοῖς ἐφοίτων οἷς ἔμελε λογικῆς παιδείας καὶ γνῶ-
 σεως, οὓς καὶ ὁ βασιλεὺς συμβούλους ἐν τοῖς πρακτέοις πεποιήτο. Sed
 duodecim illos ἐταίρους constat professores publicos non fuisse. ἐταῖρος
 viri docti alicuius vel γνῶριμος is quoque est qui eius doctrinae se ap-
 plicavit. Ac locupletior quam Zonaras saeculi XII scriptor nunc Ed. Murali
 opere testis prodit Georgius monachus saeculi IX medii, cuius haec est
 illius facinoris narratio I. IV p. 634 φασὶ δὲ τινες πιστότατοι ἄνδρες τῆ
 βασιλικῆ καλουμένῃ κινετέρῃ τῇ οὐχὲν πλησίον τῶν Χαλκοπρατείων πα-

λάτιον ἦν *σεμνόν*, ἐν ᾧ ὑπῆρχε κατὰ τύπον ἀρχαῖον οἰκουμενικὸς διδασκαλὸς ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ ἑτέρους μαθητὰς αὐτοῦ καὶ *συλληπτορας* ἱβ, *πάσαν ἐπιστήμην μετερχομένους* καὶ τὰ ἐκκλησιαστικά κρατύνοντας δόγματα, βασιλικὰς διαίτας καὶ βίβλους ὡσαύτως ἔχοντας, ὧν ἄνευ οἱ βασιλεῖς γνῶμης καὶ βουλῆς οὐκ ἐθέσιζον. τούτους ὁ ἀγριώτατος θῆρ καὶ *δυσώνυμος βάναιος* προσκαλεσάμενος ἐπειράτο πείθειν αὐτοῦ τῆ ἀθείᾳ. τῶν δὲ τοῦτο μὴ καταδεξαμένων ἀλλὰ μάλλον ἐλεγξάντων αὐτοῦ τὴν ἀσέβειαν προσέταξε *κυρομένους αὐτοὺς ἀτίμως ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ τοῦ διδασκαλείου αὐτῶν ἐγκλεισθῆναι*. τούτου δὲ γενομένου τῆ νυκτὶ πάλιν ἀποστείλας ὁ ἀνήμερος λέων ἢ δράκων νυκτεπάρχους τινὰς καὶ ἀπηνεῖς ἄνδρας προσέταξε *συναχθῆναι πλήθος εὐλῶν καὶ τούτων ὑπαναφθέντων κατακαῆναι τοὺς ἄνδρας μετὰ τῶν οἰκημάτων καὶ τῶν βιβλίων καὶ τῶν λοιπῶν τῶν αὐτοῖς ὑπαρχόντων*. οὗ γενομένου ἄρδην | 5 πάντες κατεφλέχθησαν. ἔκτοτε οὖν ἡ τῶν ἐπιστημῶν γνῶσις ἐν Ῥωμανίᾳ ἔπαυεν τῆ τῶν βασιλευόντων γνωσιμᾶχων ἀπονοίᾳ μειομένη ἕως τῶν ἡμερῶν Μιχαὴλ καὶ Θεοδώρας τῶν εὐσεβῶν καὶ πιστοτάτων βασιλέων (a. 842–859), cf. Cedrenus t. I p. 795, 19 et Leo grammaticus p. 177, 7 ex Georgio pendentes. *Fabulatores quomodo postea rem auxerint, videre licet in Glyca p. 522, 6 Ephraemio v. 1697 sqq. p. 78 Constantino Manasse v. 4257 sqq. p. 182 sq. Codino p. 83, 3.¹⁾ Itaque testibus non numeratis sed examinatis hunc oecumenicum nemo non intelleget clericum esse theologiam et fortasse philosophiam Aristotelicam professum, adiunctos illi fuisse apostolorum numerum aequantes, qui simul ab illo ad maiora instituerentur et illum adiutarent sive adulescentulis erudiendis sive alio modo. Sic demum perspicitur tantum imperatoris interfuisse, illorum assensum ut aucuparetur. Quasi seminarium quoddam theologorum dixeris, ab imperatoribus sustentatum, sub patriarcha (tunc Germano) constitutum. [Nisi nomen fallit, novimus hominem Heraclio imp., ipsius Stephani aetate hoc οἰκουμενικῷ διδασκάλου munere functum, Maximum confessorem*

1) hi demum librorum supellectilem, qua studia clericorum illorum carere non poterant, sciunt bybliothecam fuisse maximam, illam si dis placet quam Iulianus apostata con siderat, instaurarat Zeno: nempe 33500 volumina Manasses, 36500 Glycas incendio absumpta esse somniant; nam Homeri carmina in pelle draconis scripta praetermitto. de oecumenico eiusque adiutoribus Manasses haec habet

v. 4264 τὸν τηλικούτον κῆπον δὲ καὶ τὸ τοσοῦτον ἄλκος (bybliothecam dicit) θεῖος ἀνὴρ πεπίστευτο προέχων ἐν σοφίᾳ.

4270 τούτῳ συνήσαν ἕτεροι καὶ συνδιήγον ἄνδρες καθάπερ ὑποστράτηγοι γενναίῳ στρατηγέτῃ —

4274 ἀμειβοὶ δ' ἦσαν παιδευταὶ τοῖς ἑρασταῖς τοῦ λόγου κτέ.

Codinus quae propria habet, non minus futtilia sunt.

opusculi de conputo paschali a Petavio Vranol. p. 313 sqq. editi scriptorem, teste Syncello p. 597, 14 Bonn. Μαξίμου τοῦ ἀγιωτάτου μοναχοῦ καὶ φιλοσόφου μάρτυρος καὶ ὁμολογητοῦ καὶ μεγάλου διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας.] Quin translate etiam patriarcha CPolitanus οἰκουμενικός διδάσκαλος dictus est, ut Ioannes Chrysostomus a Georgio inde ab a. 620 archiepiscopo Alexandrino in codice Vindobonensi historico n. 5 f. 135^r et Theodorus Studita a Naucratio in Combefisii historia haeresis monothelitarum (Par. 1648 p. 857^a), cum eum magis proprie, ut uno exemplo defungar, Theophylactus hist. p. 24, 19 τὸν μέγαν τῆς ἀπανταχόθεν οἰκουμένης ἀρχιερέα καὶ πρόεδρον vocet.

Philosophiae nec minus ceterarum artium studia cum sub Phoca intermortua torpuissent, Heraclius imperator ad vitam expergefecit. Et quantumvis detraxeris adulatoris laudationi, haerebit aliquid veri in verbis quae Theophylactus Simocatta Philosophiam ipsam in historiarum prologo loquentem introducit p. 24 ed. Bonn. καγὼ δὴ τότε (sub Phoca) τῆς βασιλείας στοᾶς ἐξεστρακίσθην. . . . χρόνῳ δ' ὕστερον Ἡρακλεῖδαι διέσωσαν καὶ τὴν πολιτείαν ἀπέδοσαν καὶ τὸ ἄγος τῶν ἀνακτόρων ἀπεδιομοπῆσαντο. Καὶ δῆτα καὶ πρὸς τὰ βασιλέων τεμένη εἰσψύκισαν, καὶ περιλαῶ τὰ βασιλεία καὶ ταῦτα δὴ τὰ ἀρχαῖα καὶ Ἄττικὰ μουσουργῶ κελαδήματα. His flosculis si praeter favorem imperatoris certa rei memoria exornatur, quod equidem existimo, significatur cathedram philosophiae imperialem a Phoca neglectam ab Heraclio instauratam esse inposito qui nomine dignus esset philosopho. Quod munus cui imperator dederit, iam liquet: Stephano Alexandria ab antiqua mathematon arce arcessito. Quo etiam familiariter imperatorem usum esse postea apparebit.

Orbem artium quas Stephanus Constantinopoli professus sit satis patulum scriptor libelli quem infra edemus p. 267, 6–10 indicat. Cui si fides habenda est, conplectebatur ille cum Platonis Aristotelisque explicatione geometriam arithmetica musicam (chemiam astrologiam) | astronomiam. 6 Seclusi ab hoc indice scholarum chemiam et astrologiam non solum ordine inepte turbato quam maxime suspectas. Nam altera certe harum artium astrologia vel eam ob causam releganda erat, quod scriptor ipse eis artibus quas publice profiteri soleat statim 10 astrologiam opponit, ut qua nunc demum discipulos initiaturus sit; de chemia mox suo loco dicetur. In reliquis nihil est quod iuste addubites. Nam coniungi mathematon et philosophiae disciplina multum ante coepta erat. Signum ni fallor Platonici olim dederant, inter recentiores Proclus utriusque generis scriptis eminuit. Alexandriae quo Syriani doctrinam Atticam Hermias transtulerat, eius filius Ammonius non solum philosophus sed etiam geometra astronomusque (cf. Damascius Photii bibl. 242 p. 341^b 25) atque

arithmeticus (cf. Photius bibl. 187 p. 145^a 36 cf. 181 p. 127^a 7) celebrissimus vergente saeculo quinto et ineunte sexto habebatur idemque quod Stephani causa moneo, Ptolemaei syntaxim praelegere solebat (cf. Damascius Photii p. 127^a 9) Stephanique aetate Ioannes Philoponus etiam de arithmetica astronomiaque libros edidit. Quid? Cum Ulpianus digg. L 13, 1 philosophos et geometras discernat diversamque utrorumque conditionem ostendat, in Theodosii II academia CPolitana mathematicis ne locus quidem relinqueretur, nisi illa philosophiae adiungerentur, cui unam saltem cathedram imperator edicto supra indicato concessit. Qua re cum Hesychius vir inl. onomatologum suum conscriberet, fieri non potuit quin mathematicos industres inter philosophos recenseret. Quae cum ita sint, consentaneum est artes mathematicas non potuisse omnes ubique eodem loco haberi parive fructu tractari. Si quis enim astronomiae potissimum operam dabat, ei cum arithmetica et geometria necessariae essent, musica negligi poterat. Ac musicae qui status saeculo sexto fere medio fuerit, pretiosum Olympiodori testimonium docet quod Davides servavit in scholiorum Aristot. sylloge Brandisiana p. 16^a 40 ἰστέον δὲ ὅτι φησὶν ὁ Ὀλυμπιόδωρος, ὡς τῶν μὲν ἄλλων μαθηματικῶν εἰδῶν μέχρι τοῦ νῦν φυλάττεται λείψανον, οἷον τῆς ἀριθμητικῆς, τῆς γεωμετρίας, τῆς ἀστρονομίας· περὶ δὲ τῆς μουσικῆς φησὶν ἡμεῖς τῆς κλέος οἷον ἀκούομεν οὐδὲ τι ἴδμεν. οὐδὲν [οὔτε ed.] γὰρ σῴζεται, φησί, λείψανον τῆς μουσικῆς. ἰστέον δὲ ὅτι εἰς ἄχρι τοῦ νῦν βιβλία μουσικά. At docere musicam ne Byzantini quidem magistrelli desierunt, quod nono saeculo Ignatius diaconus in Bollandi actis sanctorum mart. II p. 707^d, undecimo saeculo ineunte Romanus Seleucensis eodemque iam vergente Michael Psellus in Sathae bibliotheca Graeca t. IV p. 121 testantur. Hi igitur hanc doctrinam perinde atque ceteras compendi factam minus minusque in diem intellegentes tradebant ut poterant.

Praelectiones Platonicae erunt fortasse qui in suspicionem vocent. Nam sublata schola Platonica a. 529 disiectisque eius auctoribus ipsa philosophia Platonis extincta esse eo magis videbatur, quo magis infesta ecclesiae habebatur. [Vel Psello vir amicissimus Xiphilinus patriarcha studium Platonis exprobraverat, contra quem causam suam testatur Psellus epistula a Satha bibl. V p. 444 sqq. edita.] Sed cum CPoli Agathias lectionem Platoniam prae se tulit, tum vero Alexandriae illa studia, etsi prae Aristotelicis paullatim refrigescabant, tamen saeculo sexto minime neglecta sunt. Ammonium Hermiae f., cuius disciplina virorum optimorum feracissima fuit, constat etiam Platonis dialogis enarrandis operam dedisse, cf. Damascius Photii p. 127^a 8 et 341^b 22 (ubi tamen addit μάλλον δὲ τὰ Ἀριστοτέλους ἐξήκητο) et Zacharias p. 84. 98 al. Boiss. Atque ex

huius discipulis Olympiodorum et Aristotelis et Platonis interpretem assiduum, quando quidem is in commentario Arist. meteor. f. 12ⁿ de stella crinita mense augusto anni 565 p. Chr. observata accurate rettulit, potest senem attigisse adulescens Stephanus. (Quin etiam Ioannem Philoponum, qui de Aristotelis phys. IV 10 p. 217^b 29 se a. d. | III non. mai. anni 617 7 commentari ipse memorat, ferunt Platonem tractasse, cf. Fabricii bibl. Gr. IV 37, IX t. IX p. 366 ed. pr.). Post Heraclii tempora etiamsi manifestum est Platonem neglectum esse, tamen a. 895 extitit qui codicem unicum nunc Bodleianum Ioannis calligraphi manu scribendum curaret Arethas. Dein inde a saeculo undecimo Pselli [cf. Sathae bibl. V p. 444] potissimum exemplo Plato resumptus multumque tractari denuo coeptus est. Itaque quod praeter libelli apotelesmatici scriptorem etiam fragmentum chemicum Vindobonense (supra p. 248 propositum) Stephanum Platonis interpretem dicit, fide carere mihi quidem non videtur.

De Aristotelicis scholis scriptor iste parum dicit: eos enim tantum Aristotelis libros indicat qui in philosophia naturali versabantur, τὰ Ἀριστοτελικὰ φυσιολογίας. Unius id genus commentarii in libros de caelo scripti certum praesto est testimonium in scholiorum huius operis farragine qualem codex Vaticanus 499 et Ottobonianus 45 exhibent²⁾: hinc Brandisius in scholiis Arist. p. 467^b 34 locum protulit et Symeon Seth Antiochenus in cod. Monacensi Gr. 105 f. 266^r sustulit: καὶ πάντα μὲν τὰ σώματα ἐν τόπῳ εἰς πλην τῆς ἀνάστρου σφαιρας τῶν ἀνωτάτων· ἐκείνη γὰρ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἔξωθεν αὐτῆς τὸ περιέχον αὐτὴν οὐκ ἐν τόπῳ ἐστὶ· λέγεται δὲ εἶναι τὰ μέρη αὐτῆς ἐν τόπῳ διὰ τὸ ὑπ' ἀλλήλων περιέχεσθαι, ἡ δὲ ὁλότης οὐ.³⁾ ὁ δὲ Ἀλεξανδρεὺς Στέφανος ἐξηγουμένος τὴν περὶ οὐρανοῦ πραγματείαν περὶ τούτου ἐπαπορεῖ (ἐξαπορεῖ Sym.) λέγων· εἰ ὑποθώμεθ' αὐτὴν ἀνελθόντα ἄχρι τοῦ ἀκροτάτου μέρους τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὴν χεῖρα ἐπιχειροῦντα ἐκβαλεῖν ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, ἀρὰ γε ὠθοῦσα (sic S. ὠθοῦσιν Br.) ἡ χεῖρ ἐξελεύεται ἄνωθεν ἢ κωλυθήσεται ἐξελεῖν (hoc v. om S.); εἰ μὲν οὖν εἴπωμεν (hoc v. om Br.) ὅτι ἐξελεύεται, ἔσται (ἔστιν S.) ἐκεῖσε (ἐκεῖ S.) τόπος δεκτικὸς σώματος (δεδυκῶς σώματα S.) καὶ τι κενόν· εἰ δὲ μὴ (δ' οὐκ S.) ἐξελεύεται, ἔσται ἐκεῖσε τὸ σῶμα ἀντιτυποῦν καὶ κωλύον τὴν ἔξοδον τῆς χειρός. κἀκεῖνος μὲν ἐπαπορήσας οὐδὲν ἐπελύσατο κτλ. Sed Stephanus etiam logicen Aristotelicam discipulis non potuit non praeire. Leguntur hodieque in codice Parisiensi

2) non recte in illis codicibus scholia ex Damascio excerpta esse indicatur. nam una cum Stephano etiam Ioannes Philoponus adhibitus est, cf. Brandisius in commentationibus academiae Berolinensis a. 1831 p. 69.

3) hucusque Symeonis lectionem integriorem expressi, discrepantia Brandisiana non adnotata.

n. 2064 saeculi undecimi f. 36^r σχόλια cùn θεῶ ἀπὸ φωνῆς Στεφάνου φιλοσόφου εἰς τὸ περὶ ἔρμηνείας Ἀριστοτέλους (finiuntur f. 87^v): quae cum olim Cramerus anecd. Paris. t. I p. 389 indicasset, nuper Hermannus Diels noster sua manu descripsit edetque ex decreto academiae Berolinensis. Ea quominus recentiori alicui Stephano vindicentur, obstat Muhammedis ibn Ishâq auctoritas, qui in libro *Fihrist* Syris potissimum auctoribus usus inter libri περὶ ἔρμηνείας commentatores etiam Stephanum refert, cuius summam adnotationum⁴⁾ memorat p. 249 (cf. A. Mueller *die griechischen Philosophen in der arabischen Überlieferung* Hal. 1873 p. 14). Idem categoriarum interpretem p. 248 (Muell. p. 13) Stephanum nuncupat Alexandrinum, ut quin idem philosophus quode nos disputamus dicatur, iam dubitandi caussa non relinquatur.⁵⁾ [Extabat denique commentarius librorum περὶ ψυχῆς, ut apparet ex indiculo Veneto, quem edidi Musei Rhen. t. XX p. 135.] |

- 8 Sed ultra logicen et physicen Stephani studia Aristotelica promota esse non licet credere. Etenim ethica quamquam docta rerum explicatione illustraverat Adrastus, continuis commentariis Aspasius Alexander Porphyrius⁶⁾ explanaverant, tamen praelegere illa inde a saeculo IV nemo ausus est. Post longam intercapedinem saeculo XII ineunte Eustratius Nicaeensis ethica inani verborum flumine diluere potius quam dilucidare conatus est itemque illo vix maior natu Michael Ephesius. Ita evenit ut ad politica ne vestigium quidem eruditae curae, ad ethica, quod quidem inter electorum ex antiquis exilitatem et saeculi XII loquacitatem medium intercedat, nihil diem tulerit. Poetica grammaticis, rhetorica rhetoribus

4) Muellerus vertit *compendium des Stephanos, selten und nicht vorhanden; außerdem eine Erläuterungsschrift von Galenos*. Sed illud, rarum esse librum nec inueniri, dubium est quo pertineat: Fihristi codices ad Stephanum, scriptores Arabes posteriores ad Galenum referunt. De compendii voce Arabica GILDEMEISTERVS interrogatus hoc mihi respondit: *das Arabische heißt wörtlich Zusammenfassungen, kann daher stehen und wird gebraucht von gesammelten Bemerkungen, Miszellaneen usw.* quod optime quadrat in librum superstitem.

5) Cetera aut incerta aut aperte falsa quae vulgo ferunt (cf. Buhlius *Aristot.* I p. 313 ex Fabricii *bibl. Gr.* II p. 116. 119 ed. pr.) consulto omisi. Nam Stephanos medicum, commentatorem rhetoricae, presbyterum Antiochenum (et ipsum astronomiae non rudem cf. Cosmas *topogr. Christ.* VI p. 264 sq.), alios procul habeo.

6) Cf. *Fihrist* p. 252 in Muelleri l. s. p. 21, quae res a probabilitate non abhorret. Sed quod ibidem Themistius in ethica commentatus esse fertur, valde et V. Roseo *Hermae* t. II p. 194 et mihi suspectum est. Neque aliter de Zachariae scholastici testimonio p. 123 Boisson. iudico: ἐτύγγανεν (Ammonius) ἡμῖν ἑτέραν Ἀριστοτέλους ἐξηγούμενος πραγματείαν, ἣν ἠθικῶν ὁρετῶν περὶ ἐκείνος συνέγραψε: non credo hoc ad veritatem fictum esse.

relicta erat: his Hermogenes, illis Proclus maxime satis erat: Aristoteli enucleando utrique pariter in pares. Quo factum ut poetices unum tantum exemplar diem tulerit, rhetoricae non ante extremum saeculum undecimum commentatores extiterint.⁷⁾ Egregie cum his convenit, quod inter artes, quibus Nicephorus patriarcha CPolitanus (806–815, mortuus 828) operam dederit, Ignatius diaconus duas tantum philosophiae partes recenset logicen et physicen (act. sanct. mart. t. II p. 705 § XVI). primus post Themistios et Eunapios rhetoricam artem cum philosophia Constans Psellus⁸⁾ coniunxit saeculo undecimo, hoc ipsum identidem gloriatus (cf. Sathae bibl. Gr. t. IV p. 120 sq. 434. V p. 175 sq. [442.] 476), qui aequalium studia profecto non mediocriter excitavit, ac venam fontis purioris, ut sibi videtur, oppressam et absconditam suoapte ingenio denuo aperuit (cf. L. s. IV p. 122 sq. V p. 176): hic non dubito quin, ut lectionis Platonicae repetendae auctor fuit, ita etiam ad ethicos et rhetoricos Aristotelis libros tractandos viam monstraverit.

Ex scriptis Stephani superstitionibus unum supra indicavi commentarium Aristotelicum. De reliquis acturo proficiscendum mihi esse video a testimonio quod in codice Chortasmeni nunc Vaticano (cf. symb. ad hist. astr. p. 7) f. 523^r legitur: οὗτος ἐστὶ Στέφανος ὁ ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως· ὁ καὶ τὸ Ἑλληνικὸν πρόχειρον διασαφήσας οἰκείοις ὑποδείγμασιν· ὁ τῆς παραδόξου χρυσοποιίας εὐρέτης τε ὁμοῦ καὶ ἐξηγητῆς· ὁ καὶ τὸ περὶ Μωάμεθ τοῦ θεομικοῦς τε καὶ ἀβεβοῦς δομητῆς θεμάτιον καὶ προειπῶν τοσοῦτοις ἐμπροσθεν χρόνοις περὶ τῆς αὐτοῦ δυναστείας καὶ σὺν θεῷ δὲ ἐλπίζομεν καταλύσειν. In his cum falsa a veris secernenda sint, praevertor libris spuris arguendis.

In multis enim exemplis feruntur editaeque sunt a Iulio L. Idelero in physicorum et medicorum Graec. minorum vol. II p. 199 sqq. ΛΕΚΤΙΟΝΕΣ

7) De Stephani a Cramero editi in anecd. Paris. t. I deque anonymi qui a Neobario editore nomen traxit temporibus dictum est a Brandisio Philologi t. IV p. 39 sq. Pretiosam antiquiorum studiorum reliquiam quae est de interrogatione et responsione ad rhet. III 18 poteram in hac causa tacere. ceterum de rhetoricae commentatoribus cf. mus. Rhenan. t. XX p. 134 sq.

8) Psellus his philosophiae partibus se incubuisse tradit (in Sathae bibl. Gr. IV p. 120): logicae, physicae, primae philosophiae, sed mox p. 121 inter alteram et tertiam quattuor mathemata intercalat; primam ille philosophiam potius ex litteris arcanis velut Mercurii termaximi libris, oraculis Chaldaicis, Platonis recentioribus repetebat quam ex Aristotele (cf. IV p. 121 V p. 478). Philosophiam practicam in Xiphilli apologia t. V p. 185 sq. memorat amici causa. Ceterum cave ne Pselli Ioannisque Itali titulum ὑπατος (vel πρώτος vel ὑπατος καὶ διδάκκαλος) τῶν φιλοσόφων ad munus cathedrae imperialis referas, cf. Cangius gloss. p. 1636 sq. et Sathas l. s. IV p. LVI.

CHÉMICAΕ novem ad Heraclium imperatorem datae; prima hoc insignitur titulo: Στεφάνου Ἀλεξανδρέως οἰκουµενικοῦ φιλοσόφου καὶ διδασκάλου τῆς µεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης. περὶ χρυσοποιίας πρᾶξις σὺν θεῷ πρώτη: rectius in tabula codicis Marciani (v. supra p. 248) Στ. Ἀλ. οἰκουµενικοῦ φιλοσόφου καὶ διδασκάλου περὶ τῆς ἱερᾶς τέχνης τῆς τοῦ χρυσοῦ ποιήσεως.⁹⁾ Nimiis hoc opus laudibus in codice Chortasmeni effertur, cum Stephanus elogio ὁ τῆς παραδόξου χρυσοποιίας εὐρετῆς τε ὁμοῦ καὶ ἐξηγητῆς ornatur: quod tamen librarius scilicet nomini ac famae tanti auctoris parsurus eodem quo scripsit minio obduxit. Namque inventorem artis sacrae non Stephanum fuisse neminem fugiet. Ars illa cum olim cum astrologia et magia arte coniuncta esset, ut erat in Nechepsi regis fabulosi farragine et fortasse in Africani cestis¹⁰⁾, saeculo tertio singillatim exerceri librisque doceri coepta est. Neque enim caussam idoneam video, cur de Ioannis Antiocheni fide dubitemus Diocletianum in Aegypto artis sacrae volumina vetuisse et cremari iussisse testati exc. Vales. p. 834 (in Muelleri fragm. hist. IV p. 601 f. 165). Quid quod circa medium saeculum quartum (c. 345) Firmicus *scientiam chimiae* memorat mathes. III 15, 9 p. 81 Bas. (cf. Koppius l. s. p. 44 sq.) et in commentis Lucani, quae eodem maxime saeculo et quinto orta esse alias demonstrabo, Nechepsos *antiquissimus poeta* eodem nomine, quo initiatos arte secreta ornare solebant¹¹⁾, nuncupatur p. 48, 4? quinto saeculo exeunte quam floruerit ista chemia, Aeneas Gazaesus indicat p. 67 et 71 Boiss., ut non miremur, cum a. 506 Ioannem Antiochenum impostorem χυµευτήν relegatum legimus in Theophane p. 231, 3 vel Cedreno t. I p. 629, 9. Chemiam igitur Stephanus etsi minime invenit, potuit tamen (quis negaverit?) nosse et exercere. At non potuit artem secretam, immo vetitam publice profiteri, quod libelli apotelesmatici scriptor sive potius, ut p. 251 vidimus, interpolator p. 267, 8 inepte significat; vide modo quanto rectius arcanam metallorum scientiam alius interpolator profiteatur p. 270, 8. Sane quisquis has novem lectiones scripsit, non minus quam genethliacus, quode statim dicemus, multus in eo est ut artem profanam cum religione Christiana conciliet orthodoxorumque odia molliat. At quis has homilias potius et preces quam lectiones, sacri furoris simulati plenas, quibus naturae mysteria et fidei

9) De hoc opere H. Koppius copiose ut solet materiam congressit *Beitr.* II p. 437 sqq.

10) Cf. Syncellus p. 676, 11 Bonn. Eandem superstitionum mixtionem etiam papyrus Leidensis saeculi IV prae se ferre videtur, cf. H. Koppii *Beitr.* I p. 97 sq.

11) ποιητής quid in chemicorum sermone significet, Reinesius var. lect. II 5 p. 164 sq. docet. de commentorum Luc. loco vide quae mus. Rhen t. XXVI p. 157 sq. disputavi. <Firmicus ille re vera est Prucknerus. W. K.>

christianae miris modis permiscetur, non dico perlegat sed inspiciat, quin prorsus illas a sobrio mathematici ingenio abhorrere sentiat? Sed melius accuratusque quam mihi licet hanc rem VALENTINVS ROSE agat, qui dum bybliotheças rimatur, ne hoc quidem litterarum genus neglexit.

Deinceps in scholio Vaticano ΟΡΥΣCΥΛΥΜ ΑΡΟΤΕΛΜΑΤΙCΥΜ indicatur, quo imperii| Arabici a Mohammede conditi fata praedicta erant. Eiusdem Cedrenus mentionem fecit histor. t. I p. 717, 7 his verbis: τῷ ἰβ̄ ἔτει (imp. Heraclii) ἤγουν τῷ ςρλα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, μηνὶ Σεπτεμβρίῳ γ̄, ἡμέρᾳ ε̄ ἐγένετο θεμάτιον τῶν Cαρακηνῶν παρὰ Cτεφάνου Ἀλεξανδρέως τούτοις κανονίσαντος κρατῆσαι ἐν ἰσχύι μὲν ἔτη τθ̄, ἐν δὲ Cυτροφῇ καὶ ἀκαταστασίᾳ καὶ Cυμφορᾷ ἕτερα ἔτη vς̄, ὡς εἶναι τὴν διακράτησιν αὐτῶν ἅπασαν εὐτυχοῦσαν καὶ δυστυχοῦσαν ἔτη τέε' ἐν τῷ Ξ̄ ἐνιαυτῷ, καθά φησι καὶ ὁ προφήτης Ἡσαΐας (c. 21, 16), 'τάδε λέγει κύριος' ἔτι ἐνιαυτὸς ὡς ἐνιαυτὸς μισθωτοῦ, καὶ ἐκλείπει ἡ δόξα Κηδάρ, καὶ τὸ κατάλοιπον τῶν τοξευμάτων υἰῶν Κηδάρ τῶν ἰσχυρῶν ἔσται ὀλίγον'. λείπει οὖν ἕως τῆς * *, ἐὰν ἄρα καλῶς ἐθεμάτισεν ὁ ἀστρονόμος Cτέφανος' ἀλλ' ὡς οἶμαι λεπτόν παχὺ ἔλαθεν ἐκείνον. χρῆ δὲ εἶδέναι ὅτι ὁ Κηδάρ δεῦτερος υἱὸς τοῦ ἸCμαῆλ ἦν. Haec Cedrenus aliunde sumpta excerptis e Theophane interposuit. Alioqui debebat, qui regni initium secundum solitum sibi conputum in anno mundi 6103 fixerat (p. 713, 20), duodecimum Heraclii imp. annum cum a. m. 6114 aequare. Heraclii autem annus XII a kal. sept. sive mavis in regni suscepti die sollempni calculum ponere, a non. oct. a. 621 currit: quem annum quin indicare Cedrenus voluerit, eo dubium non est quod statim res mense aprili a. 622 (ἰνδικτιῶνι ἰ h. e. sept. 621 usque ad extremum aug. 622: Theoph. p. 466, 3) gestas subiungit. Ac re vera dies tertius m. sept. a. 621 in feriam quintam incidit. Quae cum ita sint, apparet annum mundi non potuisse ςρλα dici, sed ςρλ, quo numero restituto notatio cum conputo vulgari Byzantino congruet. Igitur cum a. d. III non. sept. a. 621 iudicium illud siderum factum esse dicatur, quo spatium CCCLXV annorum imperio Arabum datum esset, sequitur ut tempus istud fatale a. p. Chr. 9867 eventurum fingatur, is autem cui locum Cedrenus debet, anno sexagesimo ante supremam, si dis placet, Arabum diem h. e. a. 926 scripserit. Hiatum quo locus deformatur iam facile puto suppleri posse: adnotaverat scriptor ille mihi ignotus λείπει οὖν ἕως τῆς (τετάρτης γεννηομένης ἰνδ. ιε̄), h. e. reliquos etiamtum esse quattuor indictionum cyclos, quibus peractis ind. XV imperii Arabici finem fore. At Cedrenus qui historiam suam usque ad a. 1057 continuavit, vaticinii vanitate perspecta numerum omisit dubitationemque iniicit.*)

*) [Constantin. Porphyrog. c. 16 p. 37 Menes. Ἐπῆλθον οἱ Cαρακηνοὶ μηνὶ Σεπτεμβρίῳ τρίτῃ ἰνδικτιῶνος δεκάτης εἰς τὸ δωδέκατον ἔτος Ἡρακλείου, ἔτος ἀπὸ H. Usener: Kleine Schriften. III

Haec Cedreni et Chortasmeni testimonia si sola noveris, incertus haereas, verene Stephanus rerum novarum nuntio ex Arabia CPolim perlato siderum quaestionem instituerit necne. Nunc felici casu accidit ut ipsum opusculum in eclogarum astrologiarum collectiones, quales plures etiam nunc exstant (cf. symb. ad hist. astron. p. 21), reciperetur et sic ad hanc usque aetatem propagaretur. Cuius cognoscendi cupiditate cum auctores illi me incendissent, copiam mihi CAROLI HALMII officiosa voluntas fecit codice Monacensi Gr. CV chartaceo saeculi XVI suppeditato: de quo nolo iterare quae Ign. Hardtius in catalogi t. I p. 560 sqq. rettulit.¹²⁾ Unde cum transcripsissem, exemplum meum postea cum codice Vindobonensi philol. 11 Gr. CVIII chartaceo saeculi XV, qui summis regni nostri ministris-benevole intercedentibus mihi commodatus erat, accurate contuli. Maturassem editionem, nisi alia circumspectiunda esse subsidia in summa utriusque libri discrepantia intellexissem. Haec mihi nuper VALENTINI ROSE amica liberalitas inperitit: qui cum ante hos duos annos Florentiae Stephani libellum ex codice ceteris antiquiore Laurentiano pl. XXVIII 14 chartaceo saeculi XIV descripsisset et apographon suum cum Laurentiano eiusdem plutei 13 integrum, cum Laurentiano XXVIII 16 ibi tantum ubi illi inter se discrepabant contulisset¹³⁾, ultro mihi schedas suas transmisit paratisque frui iussit. Hi libri praeter Monacensem omnes eclogas apotelesmaticas collectas continent. Aucto sic instrumento fretus iam recensere libellum et eius originem fidemque explorare ausus sum.

Namque Stephanum istum non ex stellis sed ex eventu Arabum fata

κτίσεως κόσμου ερλ, νῦν δὲ ἐστὶ ἑξῶ ἰνδικτιῶνος δεκάτης πέμπτης, ὡς εἶναι ἀπὸ τότε ἕως νῦν χρόνους ψμ. τὸ δὲ θεμάτιον τῶν αὐτῶν Cαρακηνῶν ἐγένετο εἰς μῆνα Σεπτέμβριον τρίτην, ἡμέρᾳ πέμπτῃ. εἰς τοὺς αὐτοὺς χρόνους πρῶτος ἀρχηγὸς τῶν Ἀράβων Μουάμεθ ὁ καὶ προφήτης αὐτῶν χρηματίας ἐκράτησε τῆς ἀρχῆς τῶν Ἀράβων ἔτη ἑννέα. κτλ.]

12) De codice Parisino G. 2419 chartaceo saeculi XV BONNETVS meus quae rettulit, desiderium eius adhibendi, licet cum Vindobonensi cognatus sit, non excitabant. Satis erit titulum et initium libelli, ut in eo libro leguntur, attulisse: Cτεφάνου φιλοσόφου ἀλεξανδρέως. ἀποτελεσματικὰ πράγματα, πρὸς τιμῶθειον γραμματικὸν τὸν ἑαυτοῦ μαθητῆν. περιθέσεως τοῦ μοάμεθ: Τῶν ἤδη πεπονημένων τῶν παλαιῶν σοφῶν περιδιαστρονομίας. ἐπιστημονικὸς μυσίσεως βίβλοισ τὴν ἡσαγοτὴν μέθοδον, πραγματευσαμενοὶ ὡ κράτισθαι τιμῶθειε ὕδενος τὸ παρὸν τοῦ ἀναγκαϊστάτου τρόπου τῆς ἐπιδεοῦς καὶ ὄνησίμου διδασκαλίας, καθῆφκᾶμυν κτλ. ceterum in hoc quoque codice Stephani libellus syllogae apotelesmaticae includitur ut caput κζ'.

13) In codice quarto Laurentiano XXVIII 34 ceteris longe antiquiore saeculi XII Stephani libellum olim infuisse argumenti tabula saeculo XVI addita testatur, nunc cum postremis schedis etiam hic libellus deperditus est; fuerat illius syllogae astrologicae caput ρα. debeo haec V. Rosei schedis.

vaticinatum esse, id liber ipse quem proposui clamat. Praedicat astrologus XXIV fore Arabum reges (p. 276, 15) iamque p. 279 sqq. singulorum regum formas mores res gestas, denique tempora definit. Quae aut omnia aut pleraque cum rerum memoria egregie concinere nemo non videbit, qui quidem cum rerum scriptoribus contulerit. Quae comparatio quo facilius institui posset, regum nomina singulis capitibus adscripsi, ut olim in libro seorsim edito factum fuisse interpolator p. 287, 10 contendit: nam singula quaeque ad veritatis normam ego quidem quantum potui exegi, sed exacta in commentario proponere inutile mihi esse videtur, cum Weillii et Caussini opera publice pateant. Hoc unum adnoto, vel in corporis habitu describendo, in qua re Arabum auctores consentaneum est variasse, hunc scriptorem cum Elmacino Erpenii (Lugd. Bat. 1625. 4) non numquam consentire, velut Moawia p. 281, 22 μακρὸς τὴν ἡλικίαν, Elmacino p. 57 *procerus* dicitur, Merwan hic p. 282, 14 γλαυκὸς ἐρυθρομέλας, illic p. 68 *oculis glaucis et capillitio subflavo*, Abd Almalik p. 282, 18 μακροπρόσωπος ut apud Arabem p. 80 *ore magno et hiante*, Suleiman p. 283, 4 πολυφάγος itemque illic p. 89 *heluo, comedens singulis diebus circiter centum libras*, Omar II p. 283, 10 ἔχων ὠτειλὴν ἐν τῷ προσώπῳ perinde atque Elm. p. 91 *in facie sua habens vestigium vulneris a bestia ei inflicti, unde et 'cicatrice notatus' vocabatur*, Hischam Elm. p. 97 *mediocri erat statura, candidus quidem sed vergens tamen ad flavedinem, et pulchre luscus* ut hic p. 283, 21. Sed non omnia vera ac monumentis probata poterat is genethliacus tradere, qui de numero regum deque temporis spatio mera somnia ederet. Unde sequitur, ut partem eventus doctus, partem halucinatus dixerit. Igitur commissuram si indagaveris, qua utraque pars conectitur, aetatem huius nebulonis teneas. Atqui usque ad Manssurem alterum Abassidarum, quem undevicensimum numerat, omnia recte procedunt: nam Alim etsi omittit, novit tamen et indicat p. 281, 16, Hasanem et Muawiam II suo iure praeterit; Ibrahimum quod in numerum recepit p. 284, 13, cum aliorum scriptorum Arabum tum Elmacini p. 104 sq. defenditur testimonio cf. G. Weillii hist. chalif. t. I p. 681. Sed postea inde a XXI regno omnia susque deque feruntur, ne Harunis Arraschid quidem, qui debebat XXII loco tractari, ullum est vestigium. Principium turbarum in Mahdi Manssuris filio rege XX conspicitur, quem etsi patri successisse probe norat, tamen nihil sic memoravit ut certum sit eum res ab illo gestas novisse. Gravius est quod Arabes in Asiam minorem inde ab a. 12 776 identidem irrupisse, a. 782 adeo Chrysopolin usque processisse et Marte propitio Irenen imperatricem ad turpes pacis condiciones compulisse ignorat. Sufficiunt haec ut libellum nostrum regnante Mahdi, ut quam cautissime dicam, non post a. 776 scriptum esse demonstretur. Sed ac-

cedit quod qui Mahdim excepit Hadi chalifa p. 286,1 contra usum dicendi eo modo notatur, quo manifestum fiat scriptorem rerum futurarum ignarum hoc unum ausum fuisse praedicere ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, verba ὁ τούτου υἱός post adiecta esse quam filium Mahdis successisse conpertum esset. Longe vero gravissimum argumentum in temporum rationibus situm est.

Nempe regum tempora tecte ea quidem et summatim sed satis recte definiri solent. Neque enim solum imperii Arabici sed etiam singulorum regum fata inprimis a Saturni per zodiaci signa motu repetuntur. Cuius perihodum cum tricenum annorum genethliaci statuerint, sequitur ut per singula zodiaci signa Saturnus binis annis et dimidio transeat. Iam vero cum regum anni fatales loco Saturni adnotato indicentur, quamquam, ut Firmici utar vocabulo, platice hoc fit i. e. signo tantum, non partibus signi (nisi forte tali formula ἐπὶ τὸ τοῦ σκορπίου τέλος, ἐπὶ τὴν τῶν διδύμων ἀρχὴν partes designantur), ne dicam minutis notatis, tamen quot fere annos cuique regi scriptor tribuerit, numquam dubium esse potest. Atque regnorum XIX priorum fines ita constituuntur, ut non poterat nisi qui regum annos fatales accuratissime cognitos haberet. Proficiscitur astrologus a cancri parte XXIV (cf. p. 273,16 cum 276,22), Mohammedem diem obiisse volt p. 280, 6, cum Saturnus ad extremum scorpionum accessisset et intra suos fines h. e. scorpionis partes XXV usque ad XXX versaretur: itaque Mohammedi annos quater binos quattuorque dimidia cum aliquot mensibus adscripsit. Atqui Mohammed Medinae d. XIX sept. 622 susceptus, d. VIII iun. 632 mortuus novem annis et paene novem mensibus regnavit: hic scriptor a mense aprili a. 622 profectus (cf. p. 272,12) decem annos duosque menses prophetae Arabum tribuit. Sed in ceteris regibus Saturni loci multo neglegentius notantur, ut facilior sit temporum aequatio. Sic idoneus planetae et regnorum consensus rationem ineunti apparebit usque ad XIX Manssurem, qui cum a. d. IX iun. 754 usque ad VII oct. 775 annis XXI mensibus quattuor imperium gubernarit, p. 285,12.29 Saturno a capricorno usque ad libram vel per signa plus quam octo, minus quam novem transeunte regnasse satis recte indicatur: nam ad annos XXI menses IV explendos opus fuit octo signis nonique partibus XVI percursis. Non convenit ratio in Mahdi. Huic Saturni per sex signa meatum h. e. annos circiter XV genethliacus ascripsit, rerum memoria non amplius annos IX menses X tribuit. manifestum igitur tenemus inpostorem mendacii ipso Mahdi regnanti compositi.

Hinc aut egregie fallor aut tempus, quo hic libellus ortus est, etiam accuratius definiri poterit. Nam cum consentaneum esset per duodecim Saturni revolutiones Arabum imperium duraturum esse (cf. p. 286,22), ut Saturno duodecimum in cancri partem XXIV reverso cum ultimo rege

regnum ipsum exstingeretur, longe alia hic scriptor ex siderum observatione percepit: cum septimum Saturnus in arietis signum ingressus esset (cf. p. 285, 26), propter damnum Saturni Venerisque (286, 19)¹⁴⁾ fore ut finis esset imperii: sic fit ut anni CCCLX non expleantur, sed | desint 13 perihodorum Saturni quinque integrarum anni CL et temporis spatium quod Saturni inde ab ariete usque ad cancri XXIV partem cursus septimus sibi poscit h. e. anni novem et menses quinque quattuorue.¹⁵⁾ Imperium igitur Arabibus non amplius ducentum annorum et aliquot (septem vel octo) mensium conceditur. Sed ne hoc quidem tempore intactam fore Arabum potentiam genethiacus perspicere sibi videbatur, immo per CLII tantum annos populum illum valentem potentemque futurum esse (p. 276, 12), inde per reliquos XLVIII annos eius vires debilitatum iri. Hi anni prosperae fortunae si, ut necessarium est (cf. p. 260), a m. sept. a. 622 deducuntur, desinunt in m. sept. a. 774. Cum autem Arabum in fines Romanos incursiones iam a. 776 coeptas scriptor ignoret, quid veri est similis quam ab eo anno quo commentabatur eum tempora Arabum regno adversa repetere voluisse? Quae si recte disputata sunt, ante finitum a. CLIII h. e. ante m. sept. a. 775 coepit scriptor commentari, commenta edidit anno 775 extremo aut ineunte proximo, postquam nuntium de mortuo Manssure et de filio successore accepit. [Lentius, quaeso: cf. p. 287, 2 sq.]

Sumpsimus modo nobis tempora Arabum ab eo mense et anno deduci, quo Mohammed regnare re vera coepit, neque profecto aliunde exspectaveris genethiacum computationem sideralem repetiturum fuisse. Sed hic ut est animo supino, rem secus instituit. Cum enim fingat accessisse ad se Epiphanium Arabem mercatorem, qui Mohammedis principatum mense aprili eiusdem anni emicuisse certiore se faceret, iam non illius mensis diem ab hospite exquiri, ut eius diei constellationem calculo assequatur, sed eius potius diei horaeque, qua res novas audiverat, apotelesmata indagat p. 273, 10. Vel in hoc specimine cernas, temporum quam non diligens fuerit: indidem enim evenit ut in Mohammedis regno definiendo a vero aberraret (v. p. 260). In ceteris usque ad XIX regnis cum numeri cum Arabum annalibus concordent, discordant ab eo temporis momento, unde scriptor ipse proficisci se simulat. Sed hoc ipsum quaeritur, vaticinia ista quo anno facta esse fingantur. In qua re non solum a Cedreno sed etiam inter se dissentire exempla videntur. Ea

14) Hoc ipsum scriptor p. 286, 21 memorat se iam in principio libri exposuisse. Itaque aut intercidit aut deletus est de causis imperii conlapsuri locus fortasse post p. 276, 13.

15) De hac re quae verba p. 286, 22 sq. leguntur manca sunt, quod forsitan non casu factum sit. Quo modo explenda sint, ex superiore disputatione patebit.

quaestio ut est spinosa, ita et solvi potest nec fructu carebit. Vindobonensis enim codex solus in titulo opusculi annum mundi 6129 indicat, qui a kal. sept. a. Chr. 620 usque ad extremum mensem augustum a. 621 vertebaratur; idemque p. 272, 12 indictione IX, quae cum illo anno plane congruit, mense aprili Mohammedem tradit emersisse. Ipsa narratio poscit ut eodem anno labente Epiphanius hunc nuntium Stephano attulisse credatur. Quod quoniam mense septembri accidisse dicitur, iam neque in annum m. 6129 neque in ind. IX cadit, cum kal. sept. proxima indictio novusque annus mundi incipiat. Et ut hanc largiamur negligentiam, obstabit quod mensis thoth die V h. e. sept. d. II nuntius adlatus esse p. 273, 11 dicitur¹⁶⁾, licebit enim locum in codice Vindob. turbatum et mancum ex ceteris libris corrigere: hoc enim non potest nisi ad a. 620 referri, quo re vera feria tertia vel Martis dies a. d. IV non. sept. fuit.¹⁷⁾ |
 14 ergo, nisi cui placebit eum sibi fingere scriptorem, qui nuntium fecerit septem mensibus ante eventum aferi, demonstratum est numeros codicis Vindob. falsos esse interpolatorique deberi. At veteri profecto interpolatori. Nam ab eisdem numeris profectus iam illius exempli editor, quod Cedreno sive eius auctori praesto erat, eo adductus est ut anni a creatione 6130 septembrem proponeret, isque eodem quo nunc cod. Vind. p. 273, 11 laborat hiatu deceptus cum eius mensis non feriam sed diem III indicari putaret, scite et conveniente ratione feriam V adscripsit. Ceteri libri num veriora docent? Uno tantum loco p. 272, 13, quo Mohammed prodiisse nuntiatur, annum memorant a Philippi Aridaei regno vel ab Alexandri magni excessu DCCCCXXXII, qui coepit d. XXIV mart. a. 608 p. Chr. Quae notatio eatenus saltem aptior est, quatenus eiusdem anni finibus utrumque mensem, aprillem et septembrem comprehendit. Neque

16) Hunc diem recte indicari eo quoque confirmatur, quod scriptor tertia diei hora cancri partem XXII medium caelum obtinuisse tradit p. 273, 13: quem locum satis accurate denotari ED. SCHOENFELDIUS collega coniunctissimus me docuit.

17) Multo certius quam quo supra usus sum argumento causam opineris examinata siderum positura iudicatum iri, neque ego omisi astronomum amicissimum his quaestiunculis fatigare: qui interpellatorem inportunum quam patienter tulerit, gratus meminero. Sed computatio multis modis instituta hoc unum arguit, genethiacum Ptolemaei tabulis negligentissime usum esse. Secundum illas anno Phil. 944 m. mechir d. XIV hora XXI Saturnus in cancri parte declina, Venus in prima virginis parte versabatur. Sane diebus proximis, mechir XII et XIII Venus, ut p. 273, 19. 276, 3 traditur, in leonis signo fuerat. Attamen vel sic intellegitur etiam siderum ratione annum 620 Chr. confirmari. Nam etiamsi proximo anno 945 Phil. vel 621 Chr. Saturni positura melius cum mense dieque congruit, tamen Veneris locus longius abest: immo, quod tacere scriptor non poterat, cum Saturno Venus coniungitur in eadem cancri parte XXIII.

